

Et concepit: & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel. Tria dicit, scilicet, fornicariam peperisse: & masculum fuisse quem peperit: & vocatum Iezrahelē. Ita profecto. Nam populus tertij temporis à Synagoga Idolorum cultrice, quæ fuerat tempore secundo, genitus est. & is populus masculus dicitur, quia suam adhuc libertatem, & dignitatem seruabat; ne cunctumque alienis regibus subiectus, tributa illis pendebat. Denique Iezrahelis nōmē accepit. Cuius causa prior est: quia accepit nomen ab yrbe Iezrahel, quæ in imperio Israelitico erat post Samariam (quæ caput erat imperij) illustrissima. Erat enim in ea Regum admiranda structa palatia: & ei adiacebat (inquit Hieronymus) amoenissima vallis. Posteriorem causam subdit Oseas,

Hieron.

Quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Iezrahel, super domum Iehu. Quia in fine temporis secundi, Achab rex Irael, irritauit Deum super omnes Reges, qui eum præcesserant, excitauit Dominus Iehu principem, contra Achab. Interfecit ergo Iehu Ioram filium Achab: neque cum solum, sed etiam 70. filios Achab, & universos optimates, & notos eius, & Sacerdotes, & (quantum ex hoc Oseæ textu colligitur) multum in Iezrahel innocentem sanguinem effudit. Hanc adeò trucem Iezrahelis lanienam Dominus non ferens, prænuntiat nunc per Oseam, fore, ut citò sumatur ultio de domo Iehu. ¶ Igitur Po-

*3. Re. 16.**4. Re. 9.*